



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Quænam sint præcipua Argumenta, convincentia, nostram
Religionem dignam esse, quæ omnibus alijs præferatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

Ut tamen adhuc ampliùs his æquivocationibus obviemus : Quæro ex adversarijs, quid intelligant per *Fidem divinam* ? hæc enim potest sumi diversimodè : primò pro assensu qui nitatur auctoritate Dei revelantis, & non aliquâ auctoritate merè creatâ, & sic vocatur fides divina potius quàm humana, defumptâ scilicet denominatione ab eo cui creditur, non ab eo qui credit, & huiusmodi fides divina posset etiam existere in statu puræ naturæ, & esse actus naturalis. Porro hoc sensu non est de conceptu *fidei divinæ*, esse verum, quia potest mihi probabile esse, & ego possum ob reverentiam divinæ auctoritatis assentiri Deum aliquid dixisse, quin revera Deus dixerit : sic multi credunt privatis quibusdam revelationibus, seu indicijs externis, per quæ Deus aliquid censetur voluisse illis indicare, v. g. vocationem ad talem Religionem : sic si parochus proponat rusticis articulum falsum, conantur illi præbere assensum, & præbent, propter apparentem revelationem, quæ ab ipsis prudenter iudicatur existere, & per parochum intimari. Loquendo verò de Credibilitate summa, qualem dicimus, & paulò post probabimus ampliùs, competere nostris Mysterijs, licet omninò tenendum sit, quòd tanta credibilitas non possit competere objecto falso, hoc ipsum tamen dicimus non esse evidens, sed ita certum ac firmiter tenendum, ut oppositum sit summe improbabile, nec nisi imprudenter suspicabile.

174. Secundò potest Fides divina accipi pro actu Fidei infuse & supernaturalis : & tunc non solum non est evidens, dati talem fidem (vt dixit Lugo) sed nec est evidens, posito quòd deus talis actus, cum esse essentialiter verum, nec possit etiam divinitus esse falsum. Nam licet communiter omnes asserant, actum supernaturalem non posse esse falsum, graves tamen DD. vt Ripalda, Oviedo, & Arriaga, fatentur, nullo efficaci, ne dicam, evidenti argumento id evinci, sed solâ auctoritate.

Tertiò, potest per fidem divinam intelligi fides, prout conformis divinæ revelationi : & tunc quidem evidens est, talem actum esse verum, ejusque objectum existere, sed negamus, quòd ea quæ sunt evidenter credibilia, sint hoc ipso evidenter credibilia fide conformi ipsi revelationi.

175. Objicies 3. Si Mysteria fidei possent alicui reddi ita credibilia, ut oppositum nullam haberet probabilitatem, tunc actus fidei non esset liber : sicut enim quando in objecto nulla apparet malitia, necessitatur ad amorem, ita quando in objecto nulla apparet probabilitas in oppositum, necessitatur ad assensum : consequens autem est absurdum.

Ad hoc argumentum respondent aliqui, inter quos est Card. Pallavicinus, distinguendo sequelam. Non esset liber quoad speciem, concedunt, quoad exercitium negant. Sensus est, quòd ille qui penetret motiva credibilitatis,

non possit vlllo modo dissentire nostris Mysterijs, negando illa mentaliter, sed tantum posset ea negare vocaliter : nihilominus tamen, quia ipsa mysteria non sunt evidentia, ideo poterit suspendere assensum, & sic peccare contra obligationem positivè assentiendi.

Hujus responsionis fundamenta rejeci libro secundo, cum agerem de Opinione probabili. Aliter ergo &c. Negando simpliciter sequelam. Ad probationem distinguo secundum membrum. Quando nec prudens nec imprudens probabilitas seu ratio suspicandi & judicandi oppositum apparet, & quidem nec positiva, nec negativa, concedo, secus nego. Itaque omnes fideles dum credunt, semper habent in oppositum aliquas apparentias, quibus possunt sese imprudenter & contra dictamen rationis sinere moveri, vel ad suspendendum assensum, vel ad dissentendum, vel ad non ita firmiter, ut decet, ad hoc enim sufficere posset sola obscuritas connexionis motivorum credibilitatis cum locutione Dei, ut infra declarabitur. Ad dissentendum verò sunt apparentes rationes, quibus Hæretici suos errores palliant.

CONTROVERSIA II.

Quanam sint præcipua Argumenta, convincentia, nostram Religionem dignam esse, quæ omnibus alijs præferatur.

176. **R**eligio nostra venit comparanda cum Paganismo, Judaismo, & Hæresi. Motiva ob quæ alijs omnibus præferenda est, aliqua sunt Generalia, aliqua specialia. Quòd Christianismus sit præferendus Paganismo & Judaismo, sufficenter probabitur ex Generalibus motivis. Quòd verò sit præferenda Catholica Religio Sectis in Christianismo existentibus, etiam specialibus argumentis probari potest. Incipiendo à motivis generalibus, & comparando nostram Religionem cum alia quacunque quæ à nostra damnatur, advertendum est ; Octo potissimum adduci posse motiva, ob quæ vna Religio meretur alteri præferri, si cætera sint paria, hoc est, seclusis interea punctis controversis, & in quibus illæ sectæ differunt, & vna alteram erroris arguit : cætera quæ in quacunque Religione ipso Naturæ lumine apparent laudabilia, nulli ex Religionibus invicem comparandis desunt.

Hinc statim excluditur Idololatria, quæ manifestè repugnat rationi, & per consequens illud quod in cæteris sectis laudabile est, erit Cultus vnius Dei, in quo conveniunt.

177. Octo, inquam sunt Argumenta, fundantia prudentem electionem vnius Religionis præ alia. Primum est : Numerus Sapientum, qui aliquam Religionem indubitanter profitentur, & qui verè sunt Sapientes, hoc est, qui communi sensu præstant alijs Ingenio, Judicio, & doctrinâ

in alijs scientijs. Secundum est, numerus eorum, qui in eadem Religione fuerunt Honestatis & omnium Virtutum veri amatores & studiosi. Tertium, Numerus eorum, qui solius Veritatis, propriæque salutis amore ducti, fortissimo animo eandem Religionem propugnârunt ad mortem vsque. Quartum, Numerus eorum, qui æternæ felicitatis amore omnia humana contempserunt. Quintum, Numerus eorum, qui ferventissimè Deum per omnem vitam, & omnes quasi actiones suas amârunt, nihil magis desiderantes, quàm placere illi per omnia, & summè dolentes, si in aliquo se deliquisse deprehenderunt. Sextum, Victoria contra alias Sectas, à quibus persecutiones graves sustinuit. Septimum Numerus Prodigiorum quibus Religio est confirmata. Octavum, Modus propagandi Religionem, sine vi, sine armis, sine blanditijs.

178. Quæcunque ergo Religio deprehenderetur his ornamentis præfulgere, evidenter credibile est, eam præ alijs omnibus placere Deo, & alias omnes, quas ipsa damnat, displicere. Sed Religio nostra talis est. Ergo alijs omnibus præferenda. Major propositio non solum vera est loquendo de tota collectione (quod nemo nisi stultus negaverit) sed etiam de singulis, consideratis cum præcisione cæterorum. Nam licet necesse non sit, ut vera Religio omnia hæc ornamenta pro omni tempore, & in gradu excellenti habeat (à principio enim nascentis Ecclesiæ non poterat habere) ad providentiam tamen Dei pertinet, non permittere in vlllo horum veram religionem à falsâ notabilissimè superari, per tot sæcula, quibus inter se pugnant, & vna aliam suppressere conatur: quod quidem non est metaphysicè evidens, sed tamen non nisi imprudenter negabile. Pro nunc satis est, maiorem propositionem omnium iudicio veram esse, loquendo de tota collectione motivorum, & mihi non minus certa est, quàm certum est, Deo non esse perinde amari & odio haberi, coli & vituperari. Minor verò propositio non potest meliùs probari quàm ex historijs, quæ reddunt eam moraliter evidentem.

179. Imprimis ergo, quod attinet ad numerum Sapientum, habuerunt quidem Gentes aliquos Sapientissimos, ut Platonem, Aristotelem & similes: verùm isti non tenuerunt in animo Gentilismum, etsi simulaverint: Deinde isti Sapientes non vixerunt tempore Christianismi, nec proinde illi se suâ Sapientiâ opposuerunt. Certè qui tempore Christianismi inter Gentiles nomen Sapientum obtinuerunt, nunquam potuerunt stare gloriosè contra Christianismum, ut patet ex Victoria S. Catharinæ, contra quinquaginta Sapientes, qui adeo se victos agnoverunt à puella, ut id etiam martyrio testarentur: patet item ex Missionibus ad Japones aliasque Barbaras gentes.

Quodsi jam isti comparentur cum illis sapientibus, qui se Christianis adjunxerunt, vix ac

ne vix quidem nomen Sapientum merentur. Claret Ecclesia in suo exordio simplicissimis hominibus constaret, adjunxit se illis S. Paulus, S. Dionysius Areopagita. Deinceps verò in secundo sæculo S. Justinus Philosophus & Martyr, Athenagoras, Tatianus, qui scripsit infinita prope volumina, Egesippus, Irenæus. In Tertio sæculo Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Zeno Episcopus & Martyr, Lactantius. In quarto sæculo Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Hilarius, qui in prædicta primùm atate Christianus factus, deinde inter maximos Doctores habitus est, Basilus Magnus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Gregorius Nisæus, Hieronymus, Chrysostomus. In quinto sæculo S. Augustinus, qui solus sufficeret, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Prosper. Et hæc sunt sæcula illa in quibus etiam Sectarij fatentur fuisse Doctrinam Christianam incorruptam. Jam si illos enumerare vellem, qui sæculis proximè elapsi, dum plures hæreses exorta sunt, floruerunt, dies prius quæ nomina, deficeret.

180. Horum virorum elucubrationes præcomparavit cum scriptis eorum, qui Christianismum vel Ecclesiam Romanam impugnârunt, quod idiota sit, facillè iudicabit, non minus hos ab illis superari, quàm à Gigantibus Pygmaeos. Quæ itaque hi tot ac tanti viri, non solum sapientiæ sed etiam vitæ innocentia clarissimi, assidue præbuerint articulis capiti difficillimis, cessante fortiter propugnauerint, audacter dico, esse evidenter dignum creditu, ad divinam providentiam spectasse, non permittere, ut hoc ornamentum quæderet falsa Religio, & vera careret, nisi per aliquod aliud, v. g. miracula compensaretur: æquum alia secta compensavit hunc sapientum excessum, quo Romana Ecclesia fulget: ergo ex hoc capite redditur digna creditu, quod omnibus sit præstenda ab ijs qui hoc argumentum rectè præstant.

181. Quoad secundum argumentum & motivum, evidens quoque est. nullam Religionem nominare posse tot egregios & sincere virtutum Moralium sectatores, quot potest numerare & probare nostra Religio: & quod bene observandum est, si qui ex alijs sectis fuerant virtutum moralium sincere studiosi illi potius in hoc suæ sectæ contradixerunt, quàm eam potius si sunt, eò quod aliæ Sectæ ea teneant dogmata, quæ potius à Virtutum amore abducunt: vel bene tales fuerunt, qui ex invincibili ignorantia suam sectam tenebant, eò quod non habuerint occasionem discernendi & dijudicandi inter Religiones; de quibus optimo jure præsumi potest, quod si nostram Religionem edocti fuissent, ei libentissimè manus dedissent, ut potius in quibus plures advertissent sibi similes, & virtutum amatores.

182. Jam verò cum Deus omnium Virtutum auctor sit, & virtuosum non sit, nisi quod Deo placet, quis prudens potest suspicari, melius

judicare, fieri potuisse ut vera Religio in hoc puncto à falsa vinceretur, & non potius ad bonitatem Dei spectet, non permittere, ut qui maxime conantur se ad ultimum suum finem dispo-
nere, ab eo maxime aberrant, prout aberrant, qui falsam sectam colunt? Sanè nemo negaverit, ex duabus scholis, si cetera sint paria, illam præferendam esse, in qua plures proficiunt. Cum ergo Vera Religio debeat esse schola Virtutum, & Magistrum habeat Deum, alia verò falsa Religio Magistrum habeat Diabolum, omnis virtutis inimicum, est indignum & injuriosum Deo, cogitare, quod possit scholam suam ita negligenter gubernare, aliam verò non suam ita diligenter & providè, ut plures in aliena, pauciores in propria proficiant, sicque falsa Religio prudenter vere præferatur, & quidem amore proficiendi in virtute.

183. Quoad Tertium Motivum, constat ex indubitatis historiis, nullam Religionem unquam fuisse, pro cuius assertionem tot millia hominum tam fortiter & alacriter, in quovis sexu, ætate, vitæ conditione sanguinem fuderint: quæ sanè fortitudo multis millibus gentium causa fuit, ut ad Christianismum accederent, advertentes, dignissimum esse creditum, tantam fortitudinem & constantiam esse supra vires omnis naturæ, nec etiam à Deo permitti posse, ut tanta sustinerent tormenta pro falsa religione illi, qui Dei timore docti maluerunt vitam perdere, quam Deum offendere. cum enim innumeri eorum essent homines intelligentissimi, utique non elegissent mori potius quam Religionem mutare, nisi pro sua Religione cognovissent existere motiva insuperabilia, & inenervabilia: atque effectus indicativus motivorum inenervabilium evadit etiam ipse motivum inenervabile. Ergo &c.

184. Quoad Quartum Motivum observandum est, ipso Naturæ lumine evidens esse, quod vehementer laudabile sit, exuere se rebus humanis & terrenis solatijs, ut æternæ salutis consequenda & promerenda impensius vacare possis. Quapropter non potest non esse eximium argumentum Religionis veræ & Deo gratæ, abundare cælibatibus hominum, qui vitam pœnitentium profitentur, & mundo renuntiant in eum finem, ut animam salvent. Et hoc quidem illi qui doctrinam Evangelij admittunt non possunt nisi summa cum protervia negare.

Jam verò hujusmodi cælibatibus præ omnibus alijs abundare Ecclesiam Romanam, semperque abundasse, qui negare voluerit, aut in dubium vocare, vel summè impudens est, vel mundum non vidit. Qui verò omnes illos hujusmodi vitam profitentes vellent dicere hypocritas, & homines interius malos, ipsum esse pessimum, & alios suo pede merientem necesse est. Incredibile porro est, tot millionum vocationem ad tale vitæ genus, ab alio esse, quam ab illo, qui per talem vitam queritur: ergo pariter incredibile est, illam Religionem esse falsam, in qua

hujusmodi vitæ genus commendatur, defenditur, honoratur. Esset sanè Deus omni tyranno favior, si hos omnes permitteret inculpabiliter falsâ religione decipi, veram autem Religionem hujusmodi ornamento destitui.

185. Ad Quintum Motivum pertinet Numerus eorum, qui vitæ sanctitate in purissimo Dei amore fundatâ floruerunt, quam quidem sanctitatem Deus innumeris & manifestis miraculis, ut sanatione morborum incurabilium, resurrectione mortuorum &c. ante & post mortem attestatus est, sicut & prædictione eventuum nullis naturæ viribus cognoscibilium, revelatione arcæanorum cordium, quæ nemini præterquam Deo patere poterant.

Porro tamen donum prophetiæ & miraculorum sit & dicatur donum gratis datum, quod etiam peccatori concedi possit, certissimum tamen est, hæc dona per se loquendo non solere nisi illis concedi, qui Deo sunt affectu conjunctissimi: neque enim in hoc cæcus fuit ille Evangelicus à nativitate cæcus, qui dixit, quod Deus in miraculis patrandis peccatores non audiat, sed qui faciunt voluntatem ejus.

Quantus autem sit numerus horum qui nostram Religionem profitentur, & quàm nullus numerus appareat in alijs sectis, res est illis clarissima, qui inter Catholicos notabili tempore conversati sunt, & historias fide dignissimas legerunt vel audierunt. Jam verò quid posset imprudenter dici aut cogitari, quàm quod Deus falsam, sibi in vitam Religionem his hominibus & donis exornet præ vera Religione? homines adeo Numinis amantes dono fidei ad salutem necessario privet, & donis non necessarijs afficiat?

186. Quoad Sextum Motivum observandum est primò ex Historia Ecclesiastica, quod Religio nostra statim ab exordio suo usque modo, infinitis propè modis oppugnata fuerit, non armis & persecutionibus duntaxat, sed etiam doctrinâ contradicente, ita ut vix ullus articulus immunis ab impugnatione evaserit: nunquam tamen ita convinci potuit Religio Catholica, ut ullum articulum mutaret, adeoque nunquam fuit ita convicta, ut se fallibilem esse fateri cogeretur, quin immò omnes adversarios suos tandem ita debellavit, ut planè supprimerentur, vel ad minimum aliquos articulos mutarent, adeoque re ipsa se fallibiles agnoscerent. Est autem penitus incredibile, à Deo permitti posse, ut vera Religio ita succumbat falsæ, ut à possessione Infalibilitatis vera deiceretur, non autem falsa.

187. Observandum est secundò. Nullam sectam unquam existisse, quæ ex instituto & officio suo omnibus & singulis alijs sectis se opposuerit doctrinâ, & nunquam quietas subsistere passa sit, sicut fecit nostra Religio; qui Zelus est utique summè laudabilis, & si suscipiatur pro verâ Religione, non potest non placere Deo. Est autem incredibile, Deum permittere potuisse, ut falsa Religio hunc Zelum constanter exerceret,

non

non item vera Religio : ergo evidenter credibile est, nostram Religionem esse veram, & omnibus alijs præferendam.

188. Quoad Septimum motivum observandum imprimis est, nullum esse efficacius motivum exterius & sensibile, ad aliquam veritatem persuadendam, quam miracula : hoc imprimis patet ex eo, quod quivis nostrum, si ad aliquid credendum deberet à Deo petere sensibilem aliquam testificationem, maximè peteret Miraculum, cujus rei plurima exempla exstant in S. Scriptura : deinde id ipsum constat ex effectu & eventu : nam propter miracula, & quidem aliquando propter vnicum, multa hominum millia conversi sunt, ut in die Pentecostes &c. Ratio autem est, quia cum Miracula superent vires naturæ, non possunt fieri nisi à Deo, qui falsum testificari non potest.

Observandum est Tertio, quod licet Dæmon possit suis prestigijs imitari velle Miracula, non posse tamen prudenter cogitari, ea Miracula quæ defacto fiunt in confirmationem nostræ Religionis, fieri à Dæmone, & hoc quidem duas ob causas : prima est, quia ad Deum pertineret, non permittere ea fieri à dæmone pro falsa Religione, si ipse nollet facere miracula pro vera Religione, juxta dictum Christi : *si non fecissem signa, quæ nemo alius fecit, peccatum infidelitatis non haberent.* Et qui credebant in Jesum, hoc pro motivo reddiderunt. *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit ?* Jo. 7. v. 31. Secunda causa est, quia dæmon per hæc Miracula nihil lucraretur, sed eandem jacturam faceret, quàm faceret, si à Deo patrarentur. Nemo enim credens ejusmodi miraculis imprudenter agit credendo : alioquin nec Deus posset miraculis obligare ad credendum : ergo etiam si fingamus omnia falsa esse, quæ videmus miraculis confirmari : esset adhuc idem meritum & eadem laus credentium, nec posset Deo hæc fides displicere.

189. Jam verò nulla Religio pro se allegat tam multa, gravia & fide digna Miracula, non solum in privato aliquo loco facta, sed integris Regnis notoria, accuratissimè examinata, non solum transeuntia, sed etiam stabilia, qualia pro se affert Religio nostra, quæ adversarij non aliter eludunt, quàm Judæi miracula Christi, adscribendo ea Principi dæmoniorum. Est autem hoc motivum ejusmodi, ut Gentiles illis maximè moveantur, utpote quorum plurimi ex ignorantia vixerunt in errore suo ; contra verò illos, quos maximè movere deberent, non ita frequenter movent, nempe Sectarios, qui Evangelium admittunt, & in quo Christus disertis verbis Ecclesiæ suæ promittit Virtutem miraculorum. *Signa autem, inquit, eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo &c.* Marci 8. v. 11. & alibi passim. Si ergo Miracula sunt signum, & quidem certò securum veræ Religionis, sequitur, quod ubi deest hoc signum, ibi non sit vera Religio, & econtra,

ubi est vera Religio, ista signa inveniantur, & ubi sunt hæc signa, ibi sit vera Religio. Tenemus ergo adversarij ostendere in sua Religione credibilia signa fieri, quàm in nostra, quod ne attendant quidem. Placet adijcere verba Augustini Tr. 24. in Jo. *Interrogemus, inquit, ista Miracula, quid nobis loquantur de Christo, habent enim, si intelligentur linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbum nobis est.*

190. Octavum denique motivum, si ponderetur, est sanè potentissimum. Religio Christiana originem habuit ab homine cunctis & à discipulis illius, hominibus ex se simplicibus, ignobilibus, & penitus illiteratis, per hoc propagata est contranitentibus Regibus & Imperatoribus ad eam amplitudinem quam cernimus, immo quam propter nimiam amplitudinem cernere non possumus, utpote toto terrarum orbe diffusa. Et quidem propagata est sine armis, sine bladijs, non obstante doctrinæ sensibus adeo repugnante persuasa est viris sapientissimis. Hanc tem propagatio Religionis, talem originem, talibus habentis, fieri non potuit sine Miraculis, culentis & frequentissimis : esset enim, utique ter advertit S. Thomas, omnium excogitabilium miraculorum miraculum maximum, si hæc conversio sine miraculo facta esset.

Porrò hæc non possunt dici fuisse miracula falsa, prestigijs dæmonum facta, tum ob rationem paulò antè allatam, tam etiam ex eo capite, quod moraliter impossibile fuisset, ut nullus ex omnibus illis, qui hæc miracula patrarent, & nihil minus ad tormenta tracti, atque extremis cruciatibus affecti & sollicitati sunt ad abjurandam Religionem quam defendebant, ut, inquam, nulli illorum fraudem aperuisset, cuius utique causam fuissent. si enim non fuerunt consilij fraudis, & operis dæmoniaca, non potuisset Deus permovere, ut ita à dæmone illuderentur, aliisque populo deciperent.

In hac ergo mirabilissima propagatione nostræ Religionis, per ipsas persecutiones semper crescentis, quam nemo ignorat, qui inter Christianos vivit, relucet planè tanquam in effectu infallibili omnia prodigia, quæ ante hæc tempora sunt, ut proinde (quod bene notandum est) Sapientibus non sit opus miracula nunc petere, quia vident ea durare in effectu manifestum, perinde ac si perpetuò patrarentur. In illis etiam Regnis, ad quæ Christiani nominis annuntiatio recenter pervenit, Deus hodiè quæ non desinit facere Miracula ad illorum populorum conversionem sufficientia, donec etiam ibi fides propagetur eousque, ut novis Miraculis non sit opus.

Præter Motiva hucusque expolita, quæ possunt generaliter contra omnes sectas vituperari, superiunt Quatuor speciales Notæ contra nostræ Sectarios, ex fundamentis communibus, quæ comprehenduntur in Symbolo Nicæno, jubent

nos credere in *Tham*, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apostolicam* Ecclesiam. Has notas fusilime illustratas videre licet apud Controversistas.

CONTROVERSIA III.

Virum in Rusticis, pueris, aliisque simplicibus, Motivum Credibilitatis constitat in aliquo Discerniculo supernaturali, supplente defectum Motivorum recensitorum.

§. I.

Refertur Sententia affirmans.

191. Ratio dubitandi est; quia Rustici non perherant Motiva Credibilitatis hactenus relata, nisi quod audiant à suis parochis, ea dari. Porro quando Parochus illis proponit articulos definitos in Concilijs, Rustici non habent vllum modum naturalem investigandi, an Parochus loquatur conformiter Decretis Conciliorum, qui enim esset idoneus ad hoc investigandum, jam non veniret nomine simplicium, sed inter sagaciores numerandus esset, neque talis teneretur credere parochi praeisè, sed teneretur inquirere in motiva universaliora, qualia praecedente Controversia recensuimus, & quae sunt inenervabilia. Cum ergo rusticus scire possit, parochi auctoritatem non esse infallibilem, sed esse hominem qui falli & fallere possit, dubitatur an rusticus nihilominus in casu quo parochus defacto verum dicit, & rusticus tenetur credere, possit elicere, & defacto elicere actum fidei infusae & supernaturalem, cujus motivum credibilitatis aliud non sit, quam auctoritas Parochi seu Pastoris sui, constituti ad hoc, ut tanquam Minister Dei & Ecclesiae nomine suis oibus proponat articulos credendos: vel an praeter hanc auctoritatem, utpote fallibilem, debeat intervenire aliquod supernaturale DISCERNICVLVM, in casu quo parochus verum dicit, quod non interveniat in casu quo idem parochus falsum dicit, & sic Rusticus possit discernere propositionem veram à propositione falsa, eò quod hoc Discerniculum habeat prorsus eandem credibilitatem infallibilitatis & inenervabilitatis, quam habent omnia motiva superius ponderata.

192. Sententia affirmantis auctor fuit, ut intelligo, P. Antonius Perez, si loquamur de hoc Discerniculo in genere, & praecindamus à diversis modis illud explicandi, quem secuti sunt Card. Pallavicinus c. 4. à n. 64. & P. Esparza g. 22. Ita tamen, ut tandem in ejus vltima declaratione nullus cum altero conveniret, sed secundus primi, & tertius secundi reprobareret, & novum sibi persuaderet.

193. Primus itaque, P. Antonius Perez, suum Discerniculum ita construxit. Primò sup-

posuit, esse penitus impossibile naturaliter, quod in rebus obscuris intellectus non dubitet. Secundò dixit, esse verum Miraculum, quod credens res obscuras, credat sine dubitatione. Tertio dixit, proposito articulo vero simul cum falso, rudem illum hominem experiri illicò in se, quod circa vnum, nempe circa verum, possit non dubitare, circa falsum contra experiri se non posse non dubitare. Quarto dixit, rusticum reperire & videre in conscientia sua obligationem credendi sine dubitatione articulum verum, v. g. Incarnationem Verbi, & simul, se non obligari ad credendum articulum falsum v. g. Incarnationem Spiritus Sancti, absque dubitatione, quia nullus obligatur ad impossibile. In hujus ergo interni Miraculi experientia constituit Perez suum Discerniculum.

194. Cardinalis Pallavicinus rejecto Discerniculo P. Antonij Perez, sub nomine Ingeniosorum quorundam Recentiorum, aliud Discerniculum invenit. Dixit ergo hoc Discerniculum consistere in quadam apprehensione singulari & suprahumana, de qua dici possit: *Nec vox hominem sonat.* Hanc Pallavicini doctrinam aliqui deinde Recentiores magis declararunt, & dixerunt, quod Rusticorum discerniculum consistat in Illuminatione quadam interna, quae de seipsa dicit: *Ego sum vox Dei, inimitabilis à natura, & certifico te (hoc est rusticum) quod Parochus nunc verum dicat.* haec illuminatio reflexè cognita habet eandem vim cauissandi Judicium credibilitatis, quam habent omnia motiva relata praecedente Controversia. Itaque per hanc illuminationem reflexè cognitam, determinatur intellectus Rustici ad formandum judicium evidens credibilitatis, quo judicat: *Dignum est credere, hanc illuminationem esse locutionem Dei certificantem de locutione parochi circa hunc articulum v. g. Incarnationis Verbi.* & sic illa interna Illuminatio habet rationem motivi credibilitatis, ut possit elici & imperari actus fidei, qui dicat. *Hac est locutio Dei, & non potest non esse locutio Dei.* Haec est Interpretatio Pallavicini, adhibita à quibusdam ingeniosis Recentioribus, Collegis meis observandissimis, qui sub hujus Cardinalis umbra Discerniculum propugnârunt, illudque pluribus illustrârunt, ac subtilibus argumentis, multum vltra quàm ejus Inventores, excoluerunt, ac plausibile fecerunt.

195. P. Martinus Esparza rejecto Discerniculo Cardinalis Pallavicini & Perezij, suum Discerniculum ponit extra credentem, in ipso Parocho, & articulo 13. sic exponit. Revocandum est, inquit, in memoriam, auctorem sufficientem propositionis credendorum, non solum debere esse missum à Deo mediâtè vel immediâtè, sed etiam loqui debere tanquam missum à Deo: adjungendum deinde est, locutionem & propositionem credendorum propriam Ministri missi à Deo, ut ab eo missi, esse supernaturalem extrinsecè quoad modum, quatenus oritur à fide supernaturali doctrinae divinitus revelatae, acceptatae & approbatæ